



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Tertia Controuersia. An gratia Christi sit eiusdem speciei cum gratia
cæterorum hominum iustorum, & Angelorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

Verbo coniungitur; ergo iam dictam præhabet A infinitatem.

ULTIMA CONCL. *Accidentia Christi ad ordinem naturalem pertinentia tam corporea, quam spiritualia vnam solam moralem prædictis omnibus inferiorem habent infinitatem.* Probatur quia coniunguntur diuino supposito; igitur ex eo singularem quandam contrahunt dignitatem moralem, vt propter hanc vntionem peculiari veneratione sint digna; quæ dignitas suo modo est infinita: differt tamen dignitas hæc moralis à dignitate morali potentiarum, virtutum & operationum, quia nihil cõfert ad meritum aut valorem bonarum ac liberarum operationum, quæ solæ cum suis principiis sunt menti & valoris morales capaces.

Obi. 1. conl. 1. conl. Solut. CONTRA primam conl. argumentatur A. stur. Primo: quia virtutes illæ non habent intentionem infinitam, neque attingunt obiectum modo infinito; ergo. *Resp.* nullam esse conseq. quia dictarum virtutum infinitas non exigit infinitam intentionem, neque vt infinito modo virtutum actus attingant obiectum, sed satis est, si perfectionem omnem habeant suæ speciei possibilem secundum Dei potentiam absolutam, & sint causæ exemplares similitum virtutum in humana natura, & vniantur personæ Verbi, exornentque coniunctionem illius cum humanitate, & reflectantur modo superius explicato super ipsam diuini Verbi personam.

Obi. 2. Solut. Secundo: quia licet actus charitatis Christi fuerit infiniti valoris, ac proinde meritorius & satisfactorius infinitis, hic tamen infinitatis valor non illi ex charitatis habitu proueniebat, sed ex habitu gratiæ; ergo neque charitas neque eius actus est infinitus: Antecedens probatur: quia totus ille valor in actu charitatis Christi, & in qualibet eius operatione desumebatur ex sola operantis dignitate, & non ex modo attingendi obiectum: At quod operans, nimirum Christus, haberet infinitam dignitatem coram Deo, esset que infinite gratus & acceptus, non ex habitu charitatis aut ex alio quocunque habitu operatio desumebatur, sed ex habitu gratiæ; cuius proprium est cõstituere habentem gratum & acceptum Deo; ergo. *Resp.* duplicem esse causam infiniti valoris in actibus charitatis: alteram primam & radicalem; quæ duplex est; quædam creata; & quædam increata; alteram proximam & formalem (comprehendendo pro nunc principium formale sub causa formali.) Si sermo sit in antecedente de causa radicali in creata & prima simpliciter, falsum est antecedens, hæc enim non est gratia sed persona Verbi; Si vero sermo sit de causa radicali, quæ prima est causarum creaturarum, hæc est humanitas vnita Verbo, & post eam est gratia; Si denique sermo sit de causa proxima, quæ est principium formale proximum, negatur etiam antecedens: causa enim hæc proxima infinitatis in actibus charitatis est ipsa charitas, quæ ante suos omnes actus est infinita formaliter modis iam dictis; quamuis eius infinitas ex infinitate Verbi & gratiæ deriuetur, velut ex radicibus subordinatis. Ad probationem autem antecedentis, admissa prima propositione, dico primo, falsam esse secundam propositionem asserentem infinitam Christi dignitatem ex habitu gratiæ fuisse deriuatam, prima namque & propria causa quasi formalis dignitatis Christi, est ipsa diuini Verbi persona, non autem gratia. Secundo nego consequentiam. Valde namque diuersi sunt effectus, esse gratum & esse meritorium ac satisfactorium; primus est à gratia vt propria causa formali, secundus autem est à gratia vt prima radice creata, à charitate vero vt

propria causa: infinitas autem meriti & satisfactionis, ex infinita diuinæ personæ dignitate est vt radice prima simpliciter, ex humanitatis autem infinitate vt causa minus remota, & postremo ex charitatis infinitate vt causa proxima.

CONTRA eandem conl. sunt argumenta, quæ proponit & soluit Aluar. *disput. 3. 4. in respons. ad 3. suum argumentum.*

CONTRA tertiam conl. produci potest dictum *Obi. conl. 3. D. Tho. quolibet 3. art. 3. ad 3. Vbi sic loquitur: Vbi sunt anima Christi est virtus finita simpliciter, sicut & intellectus eius, meriti autem Christi habet infinitatem ex dignitate, in quantum est meritum Dei, & hominis. Resp. S. D. ibi loqui de merito, & de intellectu Solut. & voluntate secundum ea, quæ singulis iis propria sunt ex ratione sui generis. Quemadmodum itaque meritum dicit aliquid pertinens ad genus moris, & illo genere meritum Christi est infinitum simpliciter, ideo S. Thom. tribuit illi infinitatem simpliciter, scilicet in genere morali, quamuis in genere physico sit actus finitæ intentionis, atque ideo non habeat infinitatem: Intellectus autem & voluntas Christi Domini, & aliæ eius potentie dicunt aliquid pertinens ad genus physicum, in quo genere non ita sunt simpliciter finitæ, vt sint sufficientes ad eliciendum actum physice infinitum. Non tamen negat ibi S. D. Intellectum & voluntatem habere moralem infinitatem ea ratione, qua principia sunt operationum moralium infinitarum, de quibus supra.*

CONTRA vltimam conl. largum. Aluar. *Quo- Obi. conl. 5. niam infinitas suppositi non redundat in excellentiam & dignitatem scientiæ, quæ est habitus speculatiuus, nec in dignitatem albedinis, sed cõcomitanter omnino & quasi per accidens se habet; ergo hæc nullam habent infinitatem. Antecedens probatur; quoniam albedo Christi non est perfectior in ratione intrinseca albedinis, quàm si esset in alio supposito creato. Resp. falsum est Solut. antecedens. Ad probationem negatur consequentia. Nam sequitur tantum albedinem ex coniunctione cum Verbo non habere maiorem excellentiam, & dignitatem in esse suo specifico & naturali, non autem probat eam ex tali vnione non acquirere dignitatem in esse morali.*

Tertia Controuersia.

An gratia Christi sit eiusdem speciei cum gratia ceterorum hominum iustorum, & Angelorum?

CAIET. *super hoc articulo, docet Christi gratiam Sententia habitualem & aliorum tam hominum, quam Angelorum esse eiusdem infimæ speciei quo ad essentiam, sed diuersarum rationum quo ad modum essendi, eo quod gratia sit in Christo vt in toto illam adæquante secundum se, & vt in subiecto & principio vniuersali gratiæ, in omnibus autem aliis sit vt in partibus inadæquatis ipsi gratiæ secundum se, & vt particulariter participantibus, & ideo (inquit) quantumcunque crescat aliorum gratia, nunquā peruenire potest ad quantitatem intensiuam vel extensiuam gratiæ Christi. Quam sententiam sequuntur Medina in sua q. 2. ad hunc artic. Valentia puncto 1. in 3. quæstio. & ab ea parum aut nihil distat opinio ab A. stur. relata q. 3. art. 2. in resp. ad 6. suum argum. Quidā enim asseriebant Christi gratiā essentialiter esse eiusdem speciei cum nostra, sed ex parte subiecti seu suppositi esse speciem differentem & hanc speciem seu differentiam dicebant esse modalem, adhibentes exemplum*

plum Caiet. de calore ignis & de calore animalis, &c. Cui opinioni adhærent etiam ij, qui docent gratiam habere quandam modum physicæ infinitatis ex ipsa diuini suppositi, cui coniungitur, infinitate participatum, vt ibi notat Asturicensis, & post eum Aluarez disp. 35.

Valq. disp. 47. cap. 5. sententiam approbat Caietani, sed in ea explicanda quo ad secundam partem ab eius mēte diuertit: ait enim habitum gratiæ Christi specie differre quo ad modum operandi ab habitu gratiæ viatoris, quia Christus, vt potest comprehendere & videns Deum, operabatur ex habitu gratiæ & eliciebat affectum dilectionis Dei necessario & immobiliter, ad quem modum nullus viator, quantumvis crescens in gratia, peruenire potest, sicut nec ad gratiam puri hominis comprehensoris; Quæ quamuis vera sint, longe tamen distant à secunda parte sententiæ Caietani.

Suar. disput. 18. sectione 2. in fine duo dicit. Primum est gratiam habitualement in Christo & in aliis hominibus iustis esse eiusdem speciei & rationis essentialis. Secundum est, non sibi admodum placere, quod quidam Discipuli D. Tho. dicunt: nimirum Christi gratiam & nostram secundum absolutam quidem essentiam consideratas esse eiusdem speciei, sed tamen secundum modum essendi & ex parte subiecti esse alterius rationis & essentiae: hoc enim (inquit) existimo ad quandam modum loquendi pertinere, qui non admodum mihi placet: quia in ipsa Christi gratia reuera nihil est specie differens à gratia nostra, &c.

Quidam, quos refert Asturicensis, affirmant Christi gratiam in duplici specie collocari; altera quæ communis est gratiæ Christi & nostræ, quatenus utraque formale quoddam est diuinæ naturæ participium, & dispositio supernaturalis naturæ, & hæc pertinet ad primam speciem qualitatis. Altera secundum quam habet rationem potentiae actiue & productiue supernaturalium effectuum in hominibus & in Angelis; & hæc continetur sub secunda specie qualitatis, ad quam non pertinet nostra; quia non causat in aliis ea dona: afferunt exemplum in calore, qui vt dispositio est ad formam ignis, ponitur in prima specie qualitatis; vt autem est principium calefaciendi clauditur in secunda.

Alij ab eodem authore relati dicunt vnam tantum esse speciem gratiæ Christi, sed in ea contineri virtualiter & eminenter speciem aliam gratiæ; illam scilicet, ad quam pertinet gratia nostra, quia videlicet est species essentialiter nobilior, quam gratia nostra, eo quod totam nostræ perfectione includat, & infinitatem adiungat ordinis hypostatice: quemadmodum sensitiuum specie differt à vegetatiuo, quia perfectione eius includit & superaddit aliam ab ea distinctam, & Tetragonum eminenter continet Trigonum, & ab eo specie differt.

Deniq; Astur. loco supra notato tria dicit. Primum est: Gratia Christi physice considerata est, simpliciter loquendo, eiusdem speciei cum gratia nostra. Secundum est: Gratia Christi non est, physice loquendo, in aliqua specie, in qua non sit gratia nostra. Tertium est: Gratia Christi in esse morali specie differt à gratia nostra & Angelorum; adeo vt per potentiam Dei absolutam illa moralis species, quæ reperitur in gratia Christi, non sit communicabilis gratiæ, quæ est in pura creatura. Quæ sententia verissima est. Et eam sequitur Aluarez & alij recentiores; Ad cuius euidentiam

Resolutio. Sciendum est primo, impossibile esse per Dei potentiam absolutam, vt sint duæ gratiæ specie differentes.

A ferentes in esse gratiæ. Cuius rationem affert Asturicensis in sua Relectione de gratia Christi, quæst. 3. artic. ultimo, pag. 230. Quia gratia formaliter & essentialiter est participatio diuinæ naturæ secundum omnia attributa eius essentialia; cum itaque sit vna tantum & simplicissima diuina natura, sequitur vt gratia, quæ est eius participatio & formalis expressio, non possit esse nisi vnus & eiusdem rationis essentialis. Consequentia probatur ex differentia inter eas perfectiones, quæ sunt partiales Dei participationes secundum aliquas eius particulares perfectiones virtualiter & eminenter in eo contentas, & eas, quæ sunt Dei participationes, vt in se est: Nam primæ iuxta numerum, & rationes formales diuinarum perfectionum, quas in Deo ratione distinguimus, specie multiplicantur, vt patet de Intellectu, Scientia & Voluntate, quæ in nobis specie differunt ab iis, quæ sunt in Angelis: Secundæ vero perfectiones diuersas species habere non possunt. Non enim possunt esse diuersæ species luminis gloriæ, visionis beatificæ & charitatis: quia hæc Deum respiciunt & in eum ferantur, prout in se est intelligibilis & bonus: Deus autem, prout in se est, secundum singulas istas rationes non potest multiplicari. Cum igitur, vt ante diximus, gratia iustificans & habitualis sit participatio totius vniuersæ & simplicissimæ Deitatis secundum omnia attributa eius essentialia, consequens est, vt gratia vnus tantum esse possit rationis essentialis formaliter indiuisibilis. Ex quo sequitur gratiam Christi, nostram & Angelorum vnus esse physicæ & atomæ speciei. Quod etiam probatur primo: quia gratia Christi est gratia capitis; nostra autem est gratia membrorum; at caput & membra ad vnam pertinent essentiam formaliter indiuisibilem; ergo: Confirmatur primo: quia sensitiuum in capite & in membris non distinguitur specie, vt autem ait Augustinus in Epistola 57. gratia Christi nostræ comparatur vt sensitiuum in capite ad sensitiuum in membris. Confirmatur secundo: quoniam eo modo nos comparatur ad Christum, quo palmites ad vitem, iuxta illud Ioann. 15. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis, Ego sum vitis, vos palmites. At inter vitem & palmites, & inter virtutem vitis & virtutem palmitum non est specifica & essentialis differentia; vna siquidem est virtus, quæ viti per se primo conuenit, & ex ea diffunditur ad palmites. Tertio confirmatur ex illo Roman. 8. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui: Loquitur autem Apostolus ibi de Filio Dei, quatenus est Deus & homo, docens nos illi secundum vtramque rationem debere conformari per gratiam & per opera gratiæ; At si gratia Christi non esset eiusdem speciei cum nostra, magis essemus illi conformes quam conformes: quia non eadem qua Christus viuit, gratiæ vita viueremus. Secundo probatur idem: Quia gratia Christi, & nostra eundem habent effectum formalem per se primo gratiæ conuenientem, qui est facere habentem Deo gratum habitualiter, & dignum æterna beatitudine; ergo sunt eiusdem speciei. Tertio probatur idem: Quia si specie differrent gratia Christi & nostra, hoc eueniret vel ex perfectione gratiæ Christi, vel ex effectibus formalibus secundariis in ipso causatis, vel denique quia causat gratiam in aliis; Sed ex nullo dictorum inferatur aut causatur specifica diuersitas gratiæ; ergo. Probatur prima pars minoris; quia maior perfectio formæ secundum intensionem non causat aut infert in ea specificam diuersitatem physice loquen-

Ex propria natura gratia probatur, non posse per Dei potentiam absolutam esse duas gratias species differentes.

loquendo; alioquin tot essent species gratiæ iustificantis, quot sunt in hominibus viatoribus & in beatis sanctitatis & iustitiæ gradus; quod nullus Theologorum hucusque dixit. Secunda vero pars probatur: Quia gratia B. Virginis tribuebat ei perfectionem iustitiæ originalis, quem effectum gratia non operatur in nobis, & in patria tribuit beatis confirmationem in bono auferens potentiam peccandi, & perducens ad visionem beatificam, quos effectus non operatur in nobis: Rursus in nobis causat virtutes supernaturales appetitus inferioris, quas non operatur in Angelis. Ultima denique pars probatur: Quia si gratia Christi puro homini donaretur, qui gratiam in alios non influeret, eiusdem esset speciei nature; eo quod influendi virtus non sit essentialis & intrinseca gratiæ Christi, sed illi veluti instrumento à Deo illud mouente superaddita, ut patet in aqua Baptismi & humanitate Christi, quæ non distinguuntur ab aliis aquis & humanitatibus, eo quod assumuntur à Deo ut instrumenta gratiæ, vis enim instrumentalitatis in hac à Deo mouente diffusa extrinseca prorsus est & accidentalitatis earum naturis. Postremo probatur hæc veritas: Quia S. Patres eam ut certam supponere videntur ac præsertim Cyril. *tomo 1. Concilij Ephes. cap. 1. in Epist. ad solitariam vitam agentes*, Athan. *serm. 2. contra Arianos circa finem*, August. *lib. 15. de Trinit. cap. 26.* Ambros. & Anselm. *super Epistolam ad Hebr. 1. cap.* Et eam expresse docet Ricardus in 3. *sent. distinct. 13. articul. 1. quest. 1.*

Gratiæ Christi speciem physicam cum cæteris gratiis habere communem, sed ab eis differre specie physica modalit, & specie morali.

Secundo notandum est duplicem in gratia iustificante speciem posse considerari; prima est species physica, quæ triplex est, scilicet essentialis, modalis & accidentalitatis. Prima in eo posita est, ut sit participatio & expressio quadam naturæ diuinæ: secunda vero in tribus consistit; Primum est summa gratiæ perfectio in ratione gratiæ, ita ut nec per Dei potentiam absolutam maior esse possit; Secundum est subiecti cōnaturalitas & adæquatio, quia scilicet est in suo veluti proprio & totali subiecto, non ut ex eo naturaliter consequens, sed tanquam illi debita ex talis vniōis dignitate; Tertium ex duobus prædictis consequens est esse in tali subiecto, ut in principio vniuersali gratiæ, & omnium effectuum eius. Illa ergo gratia specie modali differt à qualibet alia gratia, quæ cuilibet gratiæ comparatur, ut virtus vniuersalis ad virtutem particularem, sicut calor ignis eiusdem est essentialis speciei cum calore aeris & misti; sed differt specie modali, quia scilicet ignis subiectum est proprium & adæquatum caloris secundum se: quia perfectionem omnem habet caloris possibilem, tam intensiuam quam extensiuam; cætera vero caloris subiecta, ut aer & corpora mista calorem deficientem à naturali sua perfectione recipiunt, adeo ut calor in eis non sit ut in subiectis totam eius perfectionem & virtutem in se recipientibus & adæquantibus, sed ut particulariter participantibus. Cum itaque gratia Christi summam habeat intensionem & perfectionem possibilem per Dei potentiam absolutam, ut supra diximus, & in sequenti Controuersia repetemus, & sit in subiecto suo connaturali, atque totali eam adæquante secundum se summam, sitque in eo secundum virtutem vniuersalem tam intensiuam quam extensiuam, in cæteris autem secundum particularem ac deficientem virtutem & perfectionem consequens est ut in specie quidem essentiali conueniat cum cæterorum hominum gratia, differat autem specie modali eo fere modo, quo albedo aut quæuis alia specifica natura, si ponatur in seipsa subsistens,

modali specie differt à se ipsa particulariter ac defectiue participata. Tertia denique species physica, quæ potest in gratia considerari, est accidentalitatis: hanc autem ei confert diuina virtus illi veluti instrumento communicata ad gratiam & eius effectus in alios homines secundum Dei voluntatem influendum: quæ species soli conuenit gratiæ Christi, & per eam constituitur & denominatur gratia capitalis.

Secunda principalis gratiæ species est moralis, cuius duplicem rationem possumus intelligere; alteram omni gratiæ communem, & alteram gratiæ Christi propriam: Attenditur autem hæc duplex moralis species iuxta duplicem gratiæ dignitatem, quarum altera communis est omni gratiæ, & potest appellari dignitas formalis: altera vero proprie est gratiæ Saluatoris, & hæc dici congrue potest dignitas personalis. Differunt autem hæc duæ dignitates & species, quod prima quæ communis est omni gratiæ, quia sumitur ex ipsa diuina natura quatenus participatur in gratia, conuenit omni subiecto, quod hac diuinæ naturæ participatione decoratur: Secunda vero non ex aliqua diuinitatis participatione, sed ex vniōe personali humanitatis Deo gratæ cum Verbo deriuatur. Ut autem scire notat Asturicensis in *allegata q. 3. pag. 233.* utraque gratiæ dignitas sub vno morali genere continetur; sed vere ac proprie specie differt: addit enim dignitas gratiæ personalis in Christo supra communem gratiæ dignitatem non solum nouum perfectionis gradum, sed nouam etiam formalem perfectionis rationem; atque ideo dignitas hæc ab illa specie differt. Nec tamen in gratia Christi duæ sunt specie distinctæ morales gratiæ perfectiones; Sed quemadmodum Trigonum in Tetragono virtualiter continetur, ita ut Trigonum propriam suæ figuræ speciem actu non habeat: quia non proprio concluditur termino, sed sub formali superioris figuræ termino continetur; differentia autem vltima specie constituitur ex vltimo formali termino rei desumitur: Quod etiam apparet in sensitiuo, quod in homine non distinguitur specie à rationali, quia sub propria differentia termino non continetur in homine, sed sub formali termino rationalitatis comprehenditur; oritur enim ab anima rationali, quæ continet eminenter sensitiuum; ita species, & dignitas personalis gratiæ Christi communem gratiæ dignitatem continet eminenter: & quemadmodum sensitiuum in bruto specie differt à rationali, ita communis gratiæ dignitas ad ordinem gratiæ pertinens specie differt à dignitate gratiæ Christi ad ordinem hypostaticum pertinente.

Tertio notandum est in Christi gratia triplicem posse physicam quantitatem considerari: Prima est secundum essentiam perfectionem: Secunda est secundum gradum intensionis: Tertia est secundum virtutis extensionem ad causandum omnia dona gratiæ, quæ duæ vltimæ pertinent ad speciem gratiæ Christi modalem. Quibus quidam recentiores Viri Doctissimi quartam addunt, quæ attenditur secundum causalitatem gratiæ respectu perfectionum, quas producit in anima Christi, quarum præcipua est iustitia commutativa; Sed obseruandum est, iustitiam animæ Christi commutatiuam erga Deum, quatenus commutativa est, non ex physica gratiæ Christi perfectione, sed ex morali eius infinita dignitate derivari, quatenus scilicet per actus charitatis, religionis & satisfactionis à gratia Verbo media humanitate coniuncta veluti à primæ radice, procedentes, Deo subiicitur ipsa persona Verbi: quod ad moralem infinitam pertinet dignitatem, quæ valde

Quantitatem gratiæ Christi intensionem aut extensionem per quantitatem gratiæ nostram adæquare non possit.

valorem gratiæ Christi & eius actibus iam dictis A tribuit infinitum; ac proinde beneficiis omnibus à Deo receptis, & offensis à nobis in Deum commissis æqualem. Igitur ad primam gratiæ quantitatem redeundo dico eandem esse, & non maiorem essentiali gratiæ nostræ quantitate. Nam quæ sub vna continentur specie indiuisibili, eandem omnino habet physicam essentia perfectionem; quoniam, ut ait Philosophus, *Species rerum sunt sicut numeri*, &c. Iam autem diximus Christi gratiam & nostram sub eadem atoma specie concludi. Secunda vero gratiæ quantitas in Christo nec per Dei potentiam ordinariam à gratia Creaturæ potest æquari, ut omnes Patres & Theologi scholastici consentiunt, nec per Dei potentia absolutam potest excedi; quia summam habet Deo & naturæ suæ possibilem perfectionem, ut supra diximus. Tertia demum quantitas, licet à quantitate gratiæ creaturæ, quasi per accidens & materialiter per Dei potentiam possit æquari, per se tamen & formaliter id effici minime potest. Nam etsi possit Deus uti gratia creaturæ veluti instrumento ad causandum in cæteris gratiam & virtutes & omnia dona gratiæ, hæc tamen virtus non erit illi quasi connaturalis, sed inest illi veluti instrumento separato, non autem ut coniuncto; gratiæ vero Christi virtus hæc inest quasi tanquam connaturalis, & ut instrumento coniuncto, atque adeo non per accidens, sed per se; quia gratiæ personæ diuinæ coniuncta ob infinitam ipsius personæ, cui est vnita, dignitatem conuenit per se summa perfectio, tam secundum intensionem quam secundum extensionem ad omnes effectus, qui non dicuntur imperfectionem; Et ideo quantumvis crescat gratia creaturæ, nunquam Christi gratiam poterit adæquare; sicut nec virtus aliqua particularis, quantumcumque crescat, virtutem adæquabit vniuersalem, ut ait S. D. hic ad tertium.

Quarto obseruandum est, virtutem aliquam esse posse duobus modis vniuersalem; Primo ex sui natura; sicut virtus Solis ex sui natura est vniuersalis in ordine ad inferiora Corpora corruptibilia, virtus autem ignis est particularis: Secundo potest aliqua virtus esse vniuersalis, ex subiecto, cui inest; Sicut si dicamus motum circularem ex sui natura non esse virtutem vniuersalem, sed ratione talis subiecti, puta Cæli, rationem habere virtutis vniuersalis: Id quod primo modo virtus est vniuersalis, specie sua essentiali distinguitur à virtute particulari; quod autem secundo modo virtus est vniuersalis, sub eadem essentiali specie continetur. Gratia Christi Domini duplicem habet virtutis vniuersalitatem, alteram in ordine ad ipsam humanitatem Verbo coniunctam, in qua causat effectus omnes & dona gratiæ, quæ nullā in Christo ponunt imperfectionem; alteram in ordine ad cæteros homines, in quibus gratiam & eius omnes effectus, quorum secundum legem Dei sunt capaces & dona producit; Quæ duplex virtutis vniuersalitas gratiæ Christi conuenit, non ex ipsa gratiæ natura, sed per additam virtutem instrumentalem, per se tamen illi conuenientem hoc ipso, quod vnita est personæ Verbi media humanitate ad generis humani redemptionem assumpta; quemadmodum cælesti corpori veluti instrumento virtus per se conuenit vniuersalis agendi in hæc inferiora hoc ipso, quod intelligentia iungitur ut motrici; & ipsi etiam assumptæ humanitati prius natura, quam gratiæ Deus virtutem influit vniuersalem, quia potens fit, ut instrumentum ipsi Deo coniunctum ad gratiam & eius omnes effectus, & dona in homines influenda, quæ virtus est illi quodammodo connaturalis, &

Naz. in D. Thom. 3. partem

illi per se conuenit hoc ipso, quod est coniuncta diuinæ personæ. Cum igitur gratia Christi virtutem illam ex natura sua non habeat vniuersalem, quemadmodum nec eam sic habet humanitas, sed modo iam dicto, non erit Christi gratia ab ea, quæ nobis aut etiam Angelis inest; specie distincta, sicut nec à cæteris humanitatibus specie distinguitur humanitas Verbo coniuncta.

Quinto sciendum est duplicem esse gratiæ habitualis effectum; alterum primum & immediatum, quia omnibus illam habentibus est commune, hic autem est facere habentem diuinæ naturæ participem, Deo gratum & ab eo dilectum; alterum secundarium. Qui multiplex est iuxta multiplicem subiectorum gratiam recipientium diuersitatem: Nam si gratia posita fuerit in naturā subsistente personalitate creata, quæ capax est ad optinendam filiationis, constituet suppositum illud filium adoptiuum, naturam autem ipsam non disponet ad vniōnem hypostaticam cū diuinā personā: Si vero natura quæ recipit gratiam, fuerit hypostatice coniuncta diuinæ personæ, quæ capax non est ad optinendam filiationis, personam hanc non facit filium adoptiuum sed naturam exornabit, atque disponet ut decēter vniatur diuinæ personæ. Et cum hæc diuersitas specifica in effectibus gratiæ secundariis non ex specifica formæ diuersitate, sed ex varia subiecti dispositione proueniat, non infert specificam in ipsa forma diuersitatem; Sicut etiam patet in effectibus caloris, cuius primarius effectus est facere calidum, qui communis est omni calori in quocumque inueniatur subiecto; Secundarius autem eius effectus est disponere ad formam substantialem: quæ dispositio diuersa est iuxta subiectorum, quibus inest, & agentium diuersitatem: quandam enim materiam disponit ad formam ignis, quandam ad formam aeris, quandam ad formam bouis, leonis aut hominis, cum tamen sit vnus & idem specie calor, qui etiam in fœmina generat lac non autem in viro, & in luto receptus illud indurat ceram autem liquefacit; & similiter gratia in viatoribus fidem causat & spem, in comprehensoribus autem causat lumen gloriæ & fruitionem.

PRIMA CONCL. Gratia Christi & nostrā sub vna specie physica, & atoma continentur.

SECUNDA CONCL. Gratia Christi differt specie physica modali à gratia cæterorum hominum, & Angelorum.

TERTIA CONCL. Gratia Christi differt à gratia nostrā, & Angelorum specie physica accidentali, modo superius exposto.

QUARTA CONCL. Gratia Christi specie morali distinguitur à gratia nostrā & Angelorum: Hæc patet ex dictis.

VLTIMA CONCL. Perfectio gratiæ Christi modalis à nullius puræ Creaturæ gratia perfectione potest adæquari. Hæc sequitur euidenter ex dictis.

CONTRA primam conclus. sunt argumenta, quæ Obi. cont. 1. proponunt & soluunt Medina in sua 2. qu. ad hunc concl.

arr. & Aluar. disput. 35. Contra eandem concl. produci potest hoc argumentum. Diuersitas specifica in effectibus formalibus & effectiuis arguit diuersitatem specificam in formis, à quibus emanant; at effectus formales & effectiui gratiæ Christi & nostræ specie distinguuntur; ergo etiam ipsæ gratiæ sunt specie distinctæ. Maior probatur ex D. Thom. de spiritualibus creaturis art. 8. ad 12. dicente lucem corporum cælestium non esse eiusdem rationis, eo quod diuersorum corporum cælestium radij diuersos habent effectus. Minor vero quo ad primam partem probatur: quia gratia nostrā nos constituit formaliter filios adoptiuos:

II 3 quem

Ex modo
nunc a sta
tu virtutis
gratiæ Christi
specie ex effe
fectu suo
primario o
bstantur ad
esse ab illa
quæ in nobis
est, specie
differtem.

Solut.

Obi. cont. 2.
concl.

Solut.

quem effectum non habet gratia Christi, sed habet alium longe diuersum, qui est disponere humanitatem ad vnionem cum Verbo personalem: Quo ad secundam vero partem probatur. Quoniam ex gratia Christi promanant veluti passionibus iustitia commutatiua erga Deum, religio & gratitudo, qua Deo cultum exhibet & gratias reddit ad æqualitatem, quod nostræ religioni & gratitudini minime conuenit. *Resp.* Maiorem esse veram de effectibus formalibus primariis non autem de secundariis, qui pro varia subiectorum dispositione & capacitate sunt diuersi, sicut etiam effectiui, ut patet in exemplis superius allatis: Et de his tantum procedit probatio Minoris. Quod autem de luce cælestium corporum docet loco notato S. D. verum est de luce, prout est virtus & passio diuersorum corporum cælestium; Sic enim specie distinguitur, non autem prout est lux, quæ est actus diaphani, &c. Sic enim est eiusdem speciei, ut videtur asserere S. D. in 2. *Celi, lect. 14.* Secundo dico diuersitatem illam iustitiæ Christi & nostræ, & similiter religionis & gratitudinis non esse, (proprie loquendo) physicam, sed moralem; quia tota provenit ex diuersa subiecti dignitate & ex eadem redundat in obiectum.

CONTRA secundam concl. argumentantur quidam iuniores viri doctiissimi. *Primo:* quia duplex differentia modalis posset assignari: Prima quatenus gratia Christi est in illo ut in subiecto connaturali; Secunda, quatenus est in illo ut in subiecto adæquato, quorum nullo modo est in nobis; Sed neuter horum modorum potest causare dictam differentiam; ergo. Minoris prima pars probatur: Quia Christus non habet nisi potentiam obedientialem ad recipiendam gratiam similem ei quam nos habemus; Sed nos non habemus potentiam receptiuam gratiæ connaturaliter, sed obedientialiter; ergo: *Secundo:* quia etiam si haberet aliam potentiam receptiuam gratiæ, ratione illius non distingueretur nostra gratia à gratia Christi; nam humanitas Christi est in illo, non ut in supposito connaturali, sicut est in mea humanitas, & tamen humanitas Christi & mea non distinguuntur specie physica essentiali modalis penes hoc, quod est esse in supposito connaturali, vel non connaturali; ergo: *Tertio:* Quia etiam si Christus esset subiectum connaturale suæ gratiæ, id non sufficeret ad eam distinguendam specie physica modalis essentiali à nostra; quia esse in subiecto connaturali; vel non connaturali pertinet ad inhesionem & inexistentiā ipsius gratiæ, quæ est extra essentiam illius; ergo cum species essentialis physica etiam modalis non sumatur ab eo, quod est extra illius essentiam, gratia Christi ex eo non distinguitur specie à nostra. *Secunda vero pars* minoris probatur: Quia gratia data Stephano ad ministerium Diaconi, non distinguitur specie à gratia data aliis Diaconis licet in aliis sit ut in subiectis deficientibus, in Stephano autem ut in subiecto adæquato talis gratia; nam ideo dicitur de illo, quod erat plenus gratia; ergo idem erit in nostro proposito: Antecedens patet: quia eiusdem rationis fuit ordinatio Stephani & aliorum; ergo & effectus inde consequentes. *Confirmantur* hæc omnia; quia licet calor sit in igne ut in subiecto connaturali & adæquato, non distinguitur specie essentiali à colore aquæ, qui non est in illa, ut in subiecto connaturali & adæquato, ergo idem erit in proposito. *Resp.* falsam esse minorem: *Ad primam probationem* primæ partis negatur Antecedens: Christus enim præter potentiam obedientialem, quam nos habemus, habet etiam intrinsecum principium gratiæ & vnionem hypo-

staticam humanitatis cum Verbo, ex qua vnione congruitas in humanitate confluit ad summam gratiam, iuxta illud Io. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnguenti à Patre, plenum gratiæ & virtutis.* Ad secundam eiusdem partis probationem negatur assumptum: Ad eius probationem negatur consequentia: quia humanitas ex hoc, quod ab alieno supposito terminatur, non acquirit nisi altioris ordinis subsistentiam & existentiam: quia non dependet à supposito, nisi tanquam à termino; at accidens essentialiter à subiecto dependet, & ideo speciem aliquam modalem ex eo potest acquirere: sicut calor ex igne veluti suo connaturali & adæquato subiecto speciem modalem acquirit, qua distinguitur à quolibet alio calore; hoc ipso namque quod est in igne ut in suo proprio, connaturali & adæquato subiecto, ac proinde cum summa perfectione, & ut virtutem habens ad omnes caloris effectus modum habet à cæteris caloribus specie differentem: Similiter ergo gratia Christi speciem quandam acquirit modalem ob easdem causas. *Ad tertiam probationem* dico, speciem gratiæ modalem sumi, quasi radicaliter ex subiecto, sed proxime & formaliter accipi ex ipsa summa gratiæ perfectione. *Ad Probationem secundæ partis* dico, non ita comparari gratiam Stephani ad gratiam aliorum Diaconorum, sicut gratia Christi ad gratiam cæterorum hominum & Angelorum: primo quia non constat gratiam illam fuisse summam etiam in tali genere secundum Dei potentiam absolutam, neque id facile credendum est: Secundo quia gratia Stephani non influebat in alios Diaconos: Tertio quia dato quod esset summa in illo genere, non distingueretur ab aliis differentiæ physica, sed moralis; quæ consideratur in ordine ad actus ministerij, qui perfectiores ex Stephani gratia proveniunt.

CONTRA quartam conclus. sunt hæc argumenta. *Primum:* Finitum & infinitum intra idem genus non variant speciem, ut patet in linea infinita, quæ si esset non esset specie differens à finita; ergo moralis dignitas infinita gratiæ Christi non distinguit eam specie à gratia nostra: Consequentia probatur: quia ad idem genus pertinet dignitas moralis gratiæ Christi, & nostræ. *Resp.* finitum & infinitum intra idem genus dupliciter differre posse; Vno modo secundum maiorem, vel minorem perfectionem absque hoc, quod infinitum nouum addat perfectionis gradum formaliter variantem; & ita verum est antecedens, & in hoc sensu procedit exemplum lineæ: sed hoc tantum modo non differunt gratia Christi, & nostra: & ideo nulla est argumenti Consequentia: Alio modo differre potest infinitum à finito non solum secundum additum perfectionis gradum, sed etiam secundum formalem perfectionis rationem; & hoc modo specie differt à finito eiusdem generis; quæ admodum si linea extenderetur in superficiem & fieret in ratione superficiem infinita, specie differret à linea finita intra idem genus quantitatis; Sic itaque gratia Christi infinitam habet moralem dignitatem, quæ alterius est rationis ab ea, quæ communis est omni gratiæ, secundum quam specie distinguitur in genere moris à gratia cæterorum hominum & Angelorum.

Secundum est: Si Petrus mereretur sibi infinitam gloriam, meritum illud esset eiusdem speciei cum merito, quo nunc de facto meretur gradum gloriæ finitum, nec differret hæc duo merita, nisi ut minus perfectum & magis perfectum intra idem genus; ergo idem proportionabiliter dicendum est de gratia Christi, & de gratia puri hominis in esse morali consideratis. *Resp.* falsum esse antec. *Solut.* nam

Obi. cont.
4. concl.

Solut.

Obi. 2.

paræ neq; gloria infinita eiuldem est speciei cum gloria finita: illa enim est visio Dei comprehensua, quæ plusquam genere differt à quacunque visione beata creata minime comprehensua.

ARTICVLVS XII.

Utrum gratia Christi potuerit augeri.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quod gratia Christi potuerit augeri. Omnis enim finito potest fieri additio. Sed gratia Christi fuit finita: ut dictum est. Ergo potuit augeri.

Præterea: augmentum gratiæ sit per virtutem diuinam: Secundum illud 2. ad Corin. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in nobis. Sed virtus diuina, cum sit infinita, nullo termino coarctatur: Ergo videtur, quod gratia Christi potuerit esse maior.

Præterea: Luc. 2. dicitur, quod puer Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Ergo gratia Christi potuit augeri.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Sed nihil potest esse, aut intelligi maius, quam quod aliquis sit vnigenitus à Patre. Ergo etiam non potest esse, vel intelligi maior gratia, quam illa, quæ Christus fuit plenus.

Respondeo dicendum, quod aliquam formam non potest augeri, contingit dupliciter. Vno modo ex parte ipsius subiecti: Alio modo ex parte ipsius formæ. Ex parte quidem subiecti, quando subiectum attingit ad vltimum gradum in participatione illius formæ secundum suum modum: sicut dicitur, quod aer non potest crescere in caliditate, quando pergit ad vltimum gradum caloris, qui potest saluari in natura aeris: licet possit esse maior calor in rerum natura, qui est calor ignis. Ex parte autem formæ excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subiectum attingit ad vltimam perfectionem, quam potest talis forma habere in natura: sicut si dicamus, quod calor ignis non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris, quam ille ad quem pergit ignis. Sicut autem aliarum formarum est ex diuina sapientia determinata propria mensura, ita & gratiæ: secundum illud Sap. 11. Omnia in numero, & pondere, & mensura disposuisti. Mensura autem vnicuique formæ præfigitur per comparisonem ad suum finem: sicut non est maior grauitas, quam grauitas terre, quia non potest esse inferior locus loco terræ. Finis autem gratiæ est vnio creaturæ rationalis ad Deum: non potest autem esse, nec intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quæ quæ est in persona, & ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Sic igitur manifestum est, quod gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ. Sed nec etiam ex parte subiecti: quia Christus, secundum quod homo à primo instanti suæ conceptionis fuit verus, & plenus comprehensor. Vnde in eo non potuit esse gratiæ augmentum, sicut nec in aliis Beatis: quorum gratia augeri non potest, eo quod sunt in termino. Minimum vero qui sunt pure viatores, gratia potest augeri, & ex parte formæ, quia non attingunt summum gratiæ gradum, & ex parte subiecti, quia nondum perueniunt ad terminum.

Ad primum ergo dicendum, quod si loquamur de quantitatibus mathematicis, cuiuslibet finita quantitati potest fieri additio: quia ex parte quantitatis finita, non est aliquid quod repugnet additioni. Si vero loquamur de quantitate naturali, sic potest esse repugnancia ex parte formæ, cui debetur determinata quantitas sicut & alia accidentia determinata. Vnde Philosophus dicit in secundo de anima, quod omnium naturæ constantium est terminus, & ratio magnitudinis & augmenti. Et inde est, quod quantitati totius celi non potest fieri additio. Multo igitur magis in ipsius formæ consideratur aliquis terminus, ultra quem non progrediuntur. Et propter hoc non oportet, quod gratia Christi possit fieri additio, quamuis sit finita secundum sui essentiam.

Ad secundum, dicendum, quod virtus diuina, licet possit facere aliquid maius, & melius, quam sit habitus gratiæ Christi: non tamen potest facere, quod ordinaretur ad aliquid maius, quam sit vnio personæ ad Filium vnigenitum à Patre. Cui vnioni sufficienter correspondet talis mensura gratiæ, secundum definitionem diuinæ sapientiæ.

Ad tertium dicendum, quod in sapientia & gratia aliquis potest proficere dupliciter. Vno modo, secundum ipsos habitus sapientiæ, & gratiæ augmentatos: & sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo, secundum effectus: in quibus scilicet aliquis sapientior, & virtuosior opera facit. Et sic Christus proficiebat sapientia & gratia, sicut & atate: quia secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat: ut se verum hominem demonstraret, & in his, quæ sunt ad Deum, & in his, quæ sunt ad homines.

Sensus quæsit.

De augmento sermo est non solum secundum Dei potentiam ordinariam, sed etiam secundum absolutam, ut clare significatur in Textu quidquid dicat Suarez.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione responderetur quæsitio duabus Conclusionibus.

Distinctio est: Aliquam formam augeri non potest contingit dupliciter: Vno modo ex parte ipsius subiecti: Alio modo ex parte ipsius formæ, ut explicatur in Textu.

PRIMA CONCL. est: Gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ. Probat: Ex parte formæ excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subiectum attingit ad vltimam perfectionis mensuram, quam potest talis forma habere in natura: at gratia Christi pertingit ad summam perfectionis gratiæ mensuram: ergo non potest augeri. Maior declaratur exemplo caloris ignis, qui non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris eo, ad quem pertingit ignis. Minor vero probatur: quia mensura perfectionis gratiæ determinatur ex vnione personæ creaturæ rationalis ad Deum: ergo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Probat: hoc antecedit simul cum consequentia: Quia ex diuina sapientia vnicuique formæ determinata est propria mensura, quæ illi præfigitur ex comparisonem ad suum finem: at finis gratiæ est vnio creaturæ rationalis ad Deum, in quo genere vnionis non potest esse, nec intelligi maior vnio, quam quæ est in persona: ergo ex hac vnione determinatur mensura perfectionis gratiæ. Maior quo ad primam partem probatur auctoritate diuinæ Scripturæ Sap. 11. Quo ad secundam vero probatur exemplo grauitatis terræ, quæ ideo nulla maior est grauitas, quia non potest esse inferior locus loco terræ, quem ut finem respicit grauitas. Minor quo ad vtramque partem relinquatur, ut nota ex supradictis & præteritis quæst. 2. artic. 9.

SECUNDA CONCL. est: Gratia Christi non potest augeri ex parte subiecti. Probat: quia Christus secundum quod homo à primo instanti suæ conceptionis fuit verus & plenus comprehensor: ergo in eo non potuit esse gratiæ augmentum. Anteced. supponitur & infra suo loco probabitur: Consequentia vero probatur: Quia nec in aliis beatis gratia augeri potest, eo quod sunt in termino. Deinde probatur vtrique conclus. ex opposito, quod apparet in viatoribus, quorum gratia potest augeri & ex parte formæ, quia non attingit summum gratiæ gradum, & ex parte subiecti, quia nondum perueniunt ad terminum.